Imperatorum. Sane iure suo Plutarchus rufos
Magnanimos, modestos, ac continentes appellavit.
Si huius clarissimi viri dictis necdum plenam
fidem habendam arbitramini, cogitate illum
divinum Israelitici populi Ducem ac Parentem
Moysen, Aegyptiorum fulmen, Pharaonis terrorem,
virtutum omnium domicilium; qui plura mirabilia
patravit, quam alii audierunt, plures Reges è
Regni ac Imperii dignitate disturbavit, quam
alii commemorarunt; saepius Deum per Opt: Mx:
familiariter convenit, quam alii cum Amicis suis
agere voluerunt. Qui insuper tanta elegantia
tantaque suavitate delibuta facie incedentibus
praebuit, ut ipsos teste Josepho, saepe cum stupen-
tes in extasim rapuerit. Nec plane mirum, rufus
n. et rutilus is erat, ut vos ipsi Auditores haud
dudum ex lectione Mensae audivistis. Cogitate
deniq; Regum sanctissimum Davidem, qui ve-
luti sol Mundum hunc illustrem Regiorum
familiam illustrat. Nonne n. hic ille, de quo
sacrae litterae saepius haec verba loquuntur: Erat n.
rufus et pulcher aspectu. O singularem pulchritu-
dinis encomium! quod non repetere delectat? rufus
erat et pulcher aspectu. Sed quare pulcher aspectu?